

# Be richt

über

## das Gymnasium Petrinum zu Brilon

während


seines zweiten Schuljahrs (1859—60),

erstattet

von

dem Director

**Dr. Anton Joseph Schmidt.**




Zugleich

Einladung zu den Schlussprüfungen und zur Schlussfeier

am 25. und 27. August.



An der Spitze steht eine Abhandlung des Oberlehrers Dr. Kirchhoff über Thukydides.



**Brilon, 1860.**

M. Friedländer's Buchdruckerei.

96  
43 (1860)

Erst

des Generalen Petermann in Berlin

(M-188) 1881



## Thucydides

**Græcorum ingeniosus rerum gestarum scriptor atque inter omnes, qui similes exstiterunt, antiquitatis historicos princeps.**

**R**erum gestarum memoriam primi apud Græcos recoluerunt poëtæ. Ratio enim et via, qua omnis Græcorum humanitas et initium cepit et processit, quum non extrinsecus, sed ex ipsius populi indole atque ingenio, quasi ex fonte suo, sponte profluxerit, proxime accedere videtur ad illam rationem, qua singulorum hominum animi excoluntur facultates; sicuti enim in juvenili ætate illa animi nostri prævalet fingendi facultas, quam Græco nomine „phantasiam“ vocamus, in virili ætate mens atque ratio: ita apud Græcos primi omnem humanitatem coluerunt poëtæ et ab iis cetera omnia litterarum genera profecta sunt. Illi tamen poëtæ epici ita res gestas memoriæ tradiderunt, ut veritati non studerent, sed fingendo et augendo res invenirent et ornarent, quo magis — id quod imprimis poëtis est propositum — placerent. Qui poëtæ non fuerunt historici; sed præcursionem quandam ad historiam scribendam adhibuerunt. Primi historici tum demum exstiterunt, quum homines satietatem quandam sentirent rerum fictarum et veritati potius studere inciperent; quæ res insigne est documentum, quo populum a juvenili ætate ad virilem transiisse intelligimus. Hos primos historicos Græci „logographos“ nominabant, quia jam non *μύθους* invenirent atque fingerent, sed *λόγους* i. e. narrationes ipsis traditas memoriæ proderent. In eorum numero fuere *Cadmus* Milesius, *Acusilas* Argivus, *Charon* Lampsacenus, *Hellanicus* Lesbicus alii. In iis omnibus hoc valde exiguum erat veritatis rerum gestarum initium, ut res traditas non mutarent neque addendo quidquam neque demendo, sed quales acceperant, tales immutatas redderent.

Hoc omne Jonicorum, qui dicuntur, logographorum genus ad summam perfectionis fastigium perduxit longèque omnium princeps exstitit *Herodotus Halicarnassensis*, qui historiam a rudibus illis atque incultis initiis tantopere promovit, ut ejus sit pater appellatus; arte præcipue ante priores excellit, qua opus suum composuit; idem enim narrationis filum tenuit ab initio usque ad finem et inde quamquam multas facit digressiones easque longius persequitur, tamen aliquo semper pacto omnia cum totius operis consilio continentur. His autem digressionibus omnium, qui tum noti erant, populorum historiam complectens in suam explicationem mira arte intexuit. Accedit dicendi genus placidum et sanum dulci enim suavique eloquentia lectorum animos oblectat. Etiam veritati eum magis studuisse, quam priores illos logographos in promptu est videre. Verumtamen iudicii lumen ad historiam non attulit neque eo consilio res traditas perscrutabatur, ut vera a falsis secerneret. Scriptor enim ut vera tradat, præsertim quum e recondita antiquitate res repetat, præter veritatis studium eximiis animi dotibus in-



genique facultatibus utatur oportet, imprimisque ei cavendum est, ne nimia credulitate omnes, a quocunque narrantur, res pro veris accipiat. Herodotus autem, quum maxime pia regeretur religione, aut a sacerdotibus traditas aut aliquo modo ad deos deorumque opinionem revocatas res nimis verecunde omnes credulo animo accepit. Præterea nonnullæ etiam in eo erant falsæ quædam opiniones, quibus quidem nescio an omnium rerum maxime, quominus candidus atque incorruptus rerum gestarum auctor quis existat, impeditur. Hoc etiam historico elaborandum est, ut rerum causas rationesque, unde eæ originem ducant, cognoscat atque perspiciat. Quamquam autem apud Herodotum nonnullæ sententiæ de civilium rerum statu iterum iterumque repetuntur, velut sententia de popularis imperii præstantia, de differentia liberorum populorum et servorum, veras tamen causas et rationes rerum gestarum non indagavit neque ad civilium rerum rationes perspiciendas opus suum accomodavit. Omnia enim ad deorum cæcam quandam voluntatem atque invidiam retulit, quæ res humanas ita gubernaret, ut in conservando rerum æquilibrio, ne quid humani nimis sese efferet, acute vigilaret et specularetur.

Quibus omnibus rationibus quo longius Herodotus aberat a perfecti historici præstantia, eo magis admirandum est subæqualem ejus fuisse scriptorem, cujus opera non processit, sed provolvit historia tam mirum in modum, ut inter omnes, qui unquam fuerunt, historicos singularis atque princeps exstiterit **Thucydides Atheniensis.** —

Athenarum omnino hoc fuisse proprium videtur, ut omnis humanitas litterarumque genera, quum primum in Piræum essent invecata, ad summam perfectionem proveherentur. Attica enim gens, quamquam a Jonicis orta erat, propriam tamen ita excoluit vim, ut medium quiddam teneret inter jonicam et doricam gentem; etenim quibus in rebus altera alteri fuit contraria, eas ad temperatam quandam mediocritatem reduxerunt Attici. Jonici enim ad omnes res, quibus sensus hominum atque animi excitantur, nimis patebant, constantia autem prorsus carebant; quare omnia fere litterarum genera a Jonicis proficiscuntur, ad perfectionem apud eos non perveniunt. Dorica gens rigida quadam firmitate instructa non facile excitabatur, in iis autem, quæ semel complexa erat, gravi quadam constantia permanebat; quocum conjunctus erat penitus naturæ insitus vehemens animorum ardor, quo factum est, ut præcipue lyrica ars apud Doros floreret. Utrorumque igitur virtutes iis, quæ redundant, recisis ita — quantum fieri potuit — Attici conjungebant, ut quemadmodum in fidibus imis et summis sonis unus efficitur concentus plenus et perfectus, sic perfectissimam haberent mediocritatem atque temperatam virtutum varietatem, qua singula litterarum genera, ubi primum Athenas, quasi in suum domicilium, propagata sunt ad perfectionis fastigium celeriter perducebantur.

Sed ad historiam revertamur. Ut intelligamus, qui factum sit, ut in arte historica Thucydides tantopere profecerit, non solum priores, de quibus disputavi, historicos consideremus necesse est et atticæ gentis præstantiam, sed cetera etiam litterarum genera quantopere eo tempore Athenis jam fuerint exulta, est respiciendum; omnia enim illa genera, totius humanitatis quasi corporis membra, uno quodam societatis vinculo continentur et inter se cohærent. Quum autem præcipue in philosophorum et oratorum provinciis versetur historicus, et philosophorum sententiæ et ars rhetorum ad historiam et tractandam et scribendam multum valeant: Anaxagoræ et Antiphontis, qui tunc Athenis floruerunt, paucis, ubi locus feret, mentionem faciemus.

De Thucydide igitur, ut unde defluxit, eo nostra oratio redeat, de ingenioso hoc et admirabili historico disserturus quum accingar: magna mihi movetur religio, ad tam grandia quum accedam tenuis; verumtamen quoniam ita mihi proposui, quid sentiam, libere dicam.

In omni fingendo artificio eadem haec tria requiruntur, ut artifex oculis vel auribus res colligat vel concipiat; ut conceptas in animoque repositas formet, componat; ut formatas, compositas ex pectore prodat in hominumque aspectum proferat. Ita Phidias Iovis statuam, Polycletus Iunonis, Praxiteles Veneris imaginem elaborarunt, ut primo singulas res sensibus colligerent animoque conciperent; deinde — id quod maxime artificis est proprium — ut res sensibus perceptas ingenio componerent, ita ut tota imago omni puncto jam perfecta menti artificis obversaretur; tum denique, ut hanc imaginem cogitatione jam absolutam imitando effingerent. Tria igitur illa si in Thucydidis persequemur opere, quod vere est artificium, hauriemus, quantum equidem existimo, id quod habemus propositum, ut virtutes et praestantiam ingeniosi hujus Graecorum historici explicemus, quum ejus et ingenium indagamus et artem et dicendi rationem.

Thucydides non ita diu post pugnam Salaminiam natus, quum gloria bellis parta omnis tantopere floreret Graecia, fieri non potuit, quin magna patriae admiratione et amore incenderetur; quare quum videret inter praestantissimas Graeciae civitates, quo magis amplificarentur, eo acriorem intercedere invidiam atque discordias, magno commotus est dolore, quod fore suspicabatur, ut intestinis discordiis dilaberetur, quae conjunctis viribus externos hostes tanta gloria rejecisset Graecia. Itaque quum bellum ipsum moveretur inter Lacedaemonios et Athenienses, qui utrique tum summa omnium rerum copia vigerent, quum reliqua tota Graecia ad alterutram partem discederet: tristi animo praesagiens, quanta ex hoc bello ad universam Graeciam, ad barbaros, adeo ad totum fere genus humanum redundarent mala, statim hoc bellum, quod memoriae traderetur, dignissimum existimavit atque ad omnes res gestas acriter attendit animum et commentariis statim eas mandavit, ut postea hujus belli perfectam elaboraret historiam. Permultis autem rebus gestis ipse interfuit; primo enim belli tempore Athenis vixit, ubi omnia publice gerebantur; consilia enim, cur hoc bellum esset suscipiendum, in foro exponebantur et, qua esset ratione gerendum, explicabatur; aliarum civitatum legatos, qui aut incitarent Athenienses aut a bello revocare studerent, dicentes in concionibus audiebat; ipse etiam Athenis pestilentia correptus est itaque hanc adversam urbis fortunam verissime potuit explicare; postea classis etiam Atheniensium aliquantum temporis eum praefuisse notum est, unde facilis conjectura et principibus civitatum usum esse Thucydidem eorumque mentem potuisse atque consilia perspicere et omnino ad rerum gestarum cognitionem causarumque indagacionem facilem ei patuisse aditum. Postea quum — id quod Athenis optimo cuique accidere est solitum — in exilium missus esset, in Thracia privatus fuit et, quum magna divitiarum copia frueretur atque otio ab omni cura libero, accuratissime potuit res gestas observare; et quum neutros certantium jam neque amicos haberet neque hostes, maxime studuit, ut omnium civitatum principibus uteretur ex iisque et, ex quibuscunque aliis posset, indagaret, quae essent in quaque civitate rationes et quales res gestae. „τάδ' ἔργα τῶν πραγθέντων ἐν τῷ πολέμῳ οὐκ ἐκ τοῦ παρατυχόντος πυνθανόμενος ἠξίωσα γράσειν, οὐδ' ὡς ἐμοὶ ἐδόκει, ἀλλ' οἷς τε αὐτὸς παρῆν καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβεῶς περὶ ἐκάστου ἐπεξελεῖσθαι. ἐπιπόνως δὲ εἰρήσκειτο, διότι οἱ παρόντες τοῖς ἔργοις ἐκάστοις οὐ ταῦτ' ἀπερὶ τῶν αὐτῶν ἔλεγον, ἀλλ' ὡς ἐκατέρων τις εὐνοίας ἢ μνήμης ἔχοι.“ (lib. I; cap. XXII. 2.)

Quam acri autem veritatis studio flagrarit in illa rerum investigatione, jam inde facile intelligas, quod belli hujus omnes fere Thucydidis aequales testes fuerunt, ita ut fingere aut augendo ornandoque deformare aliquam rem ei non liceret.

At, dixerit fortasse quispiam, multus suspitioni locus est, quum ipse populari, quod tunc Athenis erat, imperio esset laesus, ira in ingratos cives scriptorem abreptum esse et hostibus potius favisse. Ista quam vana sit suspicio, multa sunt, quibus demonstrum; quum enim Cleoni et Brasidae potissimum adversam suam deberet fortunam: en, quam placide, quam ab omni ira remotus illorum ingenia et mores Thucydides depinxit, quantas Brasidae quidem laudes tribuit, quanta continentia sibi temperavit, quominus inveheretur in indignum coriarium! Huc accedit, quod non statim, quum gerebantur singulae res, historiam conscripsit, sed commentariis confectis postea, quum omnes, si quae fuerant, animi perturbationes essent sedatae, opus suum elaboravit. Denique vero toti expositionis rationi perfusum quodammodo senties aequitatis quendam colorem, ita ut attentus lector facile cognoscat studio et ira scriptorem omnino vacasse; suas ipsius enim sententias suamque cogitationem ita omnino prohibet ab explicatione, ut omnem fere sensum quod prorsus exuisset et duro animo omnes res aequa ratione immotus narrasset, vituperatus sit. Ac profecto, perraro commotior est sermo, velut quum Atheniensium cladem in Sicilia acceptam ita exponit, ut gravi moestitia lectorem afficiat.

His vero in rebus, quae in ipso hoc bello erant gestae, quamquam acerrimum veritatis indagandae ardorem intelligimus iudiciumque in Thucydide fuisse peracre jure suspicamur, tamen optime adjuvabatur rerum publicarum, qui tunc erat, statu; omnes enim, quae ad civitatem pertinebant, res publice tractabantur et gerebantur. Multo igitur facilius summum veritatis investigandae ardorem atque acutissimam sagacitatem iudicii aciem ex operis exordio intelligas, ubi res ex antiquitate repetens Thucydides examinat, probat, refellit. Quum enim propositum suum aggredere: ut totum aliquod atque perfectum proderet, necesse esse sensit vir egregius, ut pristinum etiam Graeciae statum civitatumque rationes breviter perstringeret; eoque consilio operi suo proemium illud proposuit, quod quo ingenio fuerit historicus, quam acri studio veritatem rerum gestarum investigarit, quanta diligentia perscrutatus sit antiquitatem, quanta mentis acie vera a fictis secreverit, res obscuras et dubias conjecturis assequi quanta sagacitate studuerit, documenta praebet maxime insignia. Incusat enim aequalium animos, quod veritatem indagare non curarent et res narratas, etiamsi ad suam ipsorum civitatem, adeo ad suum ipsorum tempus pertinerent, sine accurata inquisitione alii ab aliis acciperent „οἱ γὰρ ἀνθρωποτάς ἀκοῆς τῶν προγεγενημένων καὶ ἦν ἐπιχώρια σφίσιν ἢ, ὁμοίως ἀβασανίστως παρ' ἀλλήλων δέχονται“, quod exemplo probat ab Hipparcho tyranno petito; deinde addit: „οὕτως ἀταλαίπωρος τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας καὶ ἐπὶ τὰ ἐτοῖμα μᾶλλον τρέπονται.“ (lib. I. cp. XX. 2—4)

Eos ipsos, qui historiae operam navassent resque gestas memoriae tradere studuissent, logographos, quod voluptati potius aurium quam rerum tradendarum veritati studuissent, vehementer vituperat: „λογογράφοι ξυνέθεσαν ἐπὶ τὸ προσαγωγότερον τῆ ἀκροάσει ἢ ἀληθέστερον, ὄντα ἀνεξέλεγκτα, καὶ τὰ πολλὰ ὑπὸ χρόνον αὐτῶν ἀπίστως ἐπὶ τὸ μῦθῳδες ἐκνευκχότα“ (lib. I. cp. XXI.)

Suum autem opus, inquit, nihil in se habere illarum fabularum; non enim ut aures mulceret animosque legentium oblectaret, opus se conscripsisse, sed ut posteris documenta praebere, ut historia magistra esset vitae, ut opus suum perpetuum esset generis humani monumentum. Propterea sese quam acerrime omnem perscrutatum esse antiquitatem statim in initio confirmat, sed veritatem illarum rerum antiquarum reperire perdifficile fuisse conqueritur: „τὰ παλαιὰ σαφῶς μὲν εὖρεῖν διὰ χρόνον πλῆθος ἀδύνατα ἦν“. lib. I, cp. I. Cui operi tam difficili qua ratione institerit Thucydides, ex nonnullis proemii locis intelligas. Poëtis, qui res fingant et ornent et augeant, fidem habendam esse quamquam negat, tamen ex ipso Homero saepe rationes antiquorum temporum efficit — verissimo sane iudicio; eas enim ratio-



nes, quæ poëtæ ita sunt virissimæ, ut eas non confirmet et asseveret, sed tamquam ab omnibus sint consessæ, sine ulla dubitatione ponat, has veras esse confidit historicus iisque nisus alias res conjecturis appetere studet, velut quia in poëtarum narrationibus ii, qui navigant, sæpe interrogantur ab aliis, num sint latrones, ita ut neque illi, qui interrogantur, factum ut se indignum infitentur, neque illi, qui interrogant, hoc illis exprobrent: verissime inde Thucydides intellexit illis temporibus hoc piratarum munus, quo ipsi etiam Græci veteres usi essent, nil habuisse ignominia. Simili modo, quoniam Homerus nullo loco omnes uno nomine comprehendit Græcos, sed alios Danaos, alios Argivos, alios Achæos in suis carminibus appellat, sagacissime inde suspicatur Thucydides unum, quod omnes Græciæ gentes complecteretur, nomen tunc nondum fuisse, et inde iterum efficit, singulas Græciæ gentes antiquis illis temporibus non fuisse fœderibus conjunctas, eamque ob rem quum res magnas gerere non potuissent, res et publicas et privatas apud eos exigui momenti fuisse ostendit. Quanta vero sagacitate, quæ res gestæ sint, ex ipsius Homeri, quamquam de illis rebus plane tacentis, narratione conjiciendo suspicetur, hoc est insigne documentum, quod Græcos, simul atque ad agrum Trojanum appulerint, hostes statim prælio vicisse ex ipsius poëtæ explicatione, ex fossarum castrorumque munitione demonstrat. Deinde in iis rebus, quæ narrationibus erant deformatæ falsisque opinionibus obrutæ, ut nemo fere, quales fuissent illæ res, sciret, quam acri iudicii acumine vera a fictis secreverit, en, egregium habes exemplum illam de Harmodio ejusque socio, de Hippiâ et Hipparcho disquisitionem.

Hoc autem, quod fuisse in Thucydide satis jam exposuisse videmur, aptissimum ad veritatem investigandam ingenium, fieri non potuit, quin eum impelleret, ut quam sagacissime posset, causas rerum gestarum verosque fontes, unde profluxissent, indagaret. Itaque jam ex his, quæ disputavi, suspicari licet fuisse in Thucydide, quod in bono historico volumus esse, illud, quod τὸ πραγματικόν dicunt, ut scriptor res gestas non simpliciter, sed ita narret, ut simul, unde singulæ ortæ sint et quomodo cohæreant, ostendat; rationes igitur atque causas rerum gestarum quam diligentissime ei sunt perscrutandæ. Cui muneri ut probe satisfaciat historicus, tum singularibus ornatus sit necesse est ingenii dotibus, mentis sagacitate, animo superstitione libero, rerum humanarum perspicacitate, naturæ humanæ rerumque, quibus ad singulas animorum permotiones ducantur homines, cognitione: tum vero magna ei adhibenda erit cura, animi contentio, cogitatio, vigilantia, assiduitas, labor, diligentia.

Neminem certe fugit, qui aliquam tantum cum Thucydide contraxerit familiaritatem, quanta ingenii subtilitate omnium, quas narrat, rerum gestarum causas expiscetur, neque quidquam eum tradere, quin exquisitis confirmet argumentis; atque subtilis hujus indagacionis colorem per totum opus, quasi per corpus sanguinem, diffusum senties; legas velim exordium illud, quam argute omnem, quam profert, antiquitatis rationem simpliciter adjecto: „τεκμήριον δέ“ „καὶ παράδειγμα τόδε“ „σημείον δέ“ vel alia ejusmodi dictione confirmavit! Neque in iis, quæ primæ sese offerunt, rerum gestarum causis acquiescit, sed discernendum esse intellexit inter veras causas, unde quasi ex fontibus res proficiantur, et fictas species, quas obtendant homines; has græco nomine „προφάσεις“ illas „αἰτίαις“, nominat; in his autem veris rerum gestarum causis indagandis ei impedimento non fuit illa, quam in Herodoto fuisse diximus, religio. Quid, quod Anaxagoræ fuisse fertur discipulus? Qui quidem philosophus quum, quæ vona hominum superstitione rerumque inscitia stupebat et velut portenta ac prodigia ad deos referenda esse putabat, ex ipsa rerum esse natura explicanda professus esset, eo processit, ut negaret deorum multitudinem, sed unam esse divinam mentem, quæ cuncta regeret et administraret, quam idem νοῦν appellavit. Hoc igitur viro usi esse feruntur multi Athenienses, quorum in numero

præter Themistoclem et Periclem et Euripidem etiam Thucydides traditur. Ac profecto magna intercedere videtur inter historicum hunc et illum philosophum animorum quædam cognatio; hujus enim de rerum natura doctrinam sic ad res gestas ille reduxit, ut eas non ad deorum invidiam referret, sed ipsas humanarum rerum condiciones perscrutaretur et, inde qua ratione natæ essent res gestæ, explicaret. Perraro innuit esse aliquod numen majus et altius humanis viribus, quo res gestæ sæpe contra hominum voluntates ad inopinatum finem perducerentur; hæc autem suprema omnium rerum causa caligine quadam ei erat oblecta. Humanæ potius naturæ indolem quam bene perspexerit ad eamque res gestas referre studuerit, egregia exempla attento lectori ubique sunt obvia. Unum proferre mihi liceat insigne documentum, quo intelligas verissime perspexisse Thucydidem, humanæ naturæ indoles quam arte cum rebus gestis cohæreat. Corcyræorum enim turbulentas seditiones quum narrat, dici non potest, quam egregie exponat, homines a juris quadam specie, ut injurias ulciscerentur, magis magisque processisse atque paullatim eo iræ, invidiæ, avaritiæ, cupiditatum esse provectos, ut immani crudelitate inimicos persequerentur, jus fasque spernerent, omnia miscerent; etenim *ξυνταραχθέντος, inquit, τοῦ βίου ἐς τὸν καιρὸν τοῦτον τῇ πόλει καὶ τῶν νόμων κρατήσασα ἢ ἀνθρώπειά φύσις, εἰδόντα καὶ παρὰ τοὺς νόμους ἀδικεῖν, ἀσμένῃ ἐδήλωσεν ἀκρατῆς μὲν ὀργῆς οὕσα, κρείσσων δὲ τοῦ δικαίου πολεμία δὲ τοῦ προύχοντος.* (lib. III. cp. LXXXIV.)

Eadem ratione singularum gentium naturas, civitatum formas atque commoda et incommoda, quæ inde nascantur, subtiliter explicata lectori proponit; neque tamen ipse de illis rebus disserit, sed legatos civitatum ipsarum dicentes audimus, quum suæ quisque civitatis consilia defendunt, rationes exponunt, alias civitates accusant, socios excitant. Quum autem inter Lacedæmonios et Athenienses præcipue hoc bellum gereretur et utrorumque inter se plane diversæ essent naturæ, diversi mores, diversæ rerum publicarum rationes administrandarum: in explicanda hac diversitate sæpius versatus plane accurateque eam illusrat. Qua in re egregia est illa Corinthiorum concio, quam bello exardescente Lacedæmone habuerunt; quid enim præstantius inveniri potest septuagesimo libri primi capite, in quo Corinthii Atheniensium naturam atque indolem cum Lacedæmoniis comparant: „Illi — inquit — sunt rerum novarum studiosi et prompti, ut agenda excogitent et cogitata perficiant: vos vere (Lacedæmonii) qui res jam partas conservetis apti estis neque novi quidquam excogitatis et ne ad necessarias quidem res perficiendas estis prompti. Illi vel supra vires audaces et gravissima quæque pericula subeunt præter hominum opinionem et in asperis quibusque rebus magna spe tenentur: vestra vero vos fert natura, ut res vestris viribus inferiores geratis et ne certis quidem et exploratis animi consiliis confidatis et vos pericula nunquam superaturos esse existimetis. Illi, si vobiscum conferuntur, sunt impigri: vos cunctatores. Illi peregrinationis cupidi: vos desides plerumque domi manetis cett:“ Deinde rerum publicarum administrationem, qua Athenæ Periclis ætate maxime floruerunt, et quæ inde oriantur commoda, quam egregie ipse Pericles in præclara illa funebri oratione in hunc fere modum exponit: „nomine, inquit, *δημοκρατία* vocatur rei publicæ nostræ administratio, quod non ad paucorum, sed ad omnium utilitatem administramus civitatem; omnes enim æqua fruuntur libertate et liberali aequalitate; dignitas ex sola virtute nascitur; neque turpe cuiquam suam fateri paupertatem, sed turpe non eniti, ut eam industria vites. Artes, divitiæ, voluptates in certaminibus et sacrificiis anniversariis laborum crebras animis nostris præbent remissiones. Et in iisdem hominibus simul et privatarum et publicarum rerum cura inest; neque pœnæ metu coacti, sed ducti honesta quadam liberalitate magistratibus obtemperamus atque legibus iis præcipue, quæ, quamquam non sint scriptæ, certam tamen



ignominiam afferunt. Quin etiam qui opificiis dant operam, rei publicae administrandae non minus quam ceteri sunt periti; nos enim soli eum, qui civitatem omnino negligit, non otiosum sed inutilem esse ducimus civem. Omnia publice tractamus et urbis aditus omnibus patet neque peregrinorum quemquam a disciplinis aut spectaculis prohibemus. Iidem etiam res gerendas in contionibus deliberamus et oratione illustramus, non existimantes verba rebus nocere, sed potius detrimento esse ducentes verbis non prius doceri, quam ad res, quæ sunt gerendæ, exsequendas accedamus. Atque hostes agredimur nostra audacia potius et fortitudine ac bellicis apparatus confidentes, quam dolis innitentes; omnium enim audacissimi sumus; atque hæc audacia nostra non — sicuti in aliis — ex imperitia, sed ex accurata rerum consideratione, ex difficultatum et periculorum cognitione nascitur; et fortitudo nostra animorum potius generosis moribus efficitur, quam dura disciplina et legibus severis. Et bellicosis apparatus quamquam magnam navamus operam, ut imperii fines terra marique dilatemus: tamen pax non mera nobis est palæstra, ubi bellicae exerceantur virtutes; nam et elegantiae studemus, sed eum frugalitate et sine luxu, et philosophamur, sed sine mollitie: *ξυνελών τε λέγω τήν πᾶσαν πόλιν τῆς Ἑλλάδος παιδεύσιν εἶναι.* Quocum optime conferas illam Archidami regis orationem, qua Lacedaemoniorum naturam, indolem, disciplinam explicat; postquam enim omnes res verbis prudentibus atque circumspectis illustravit atque Lacedaemoniis persuadere studuit, ne inconsulto bellum susciperent: „ne tarditatis, inquit, atque cunctationis vos pudeat, quam socii in vobis maxime reprehendunt; hæc enim quam illi cunctationem vituperant atque tarditatem, quæ potius est prudens modestia [*σωφροσύνη ἐμφορῶν*], effecit, ut liberam et clarissimam civitatem semper incoluerimus. Soli enim neque in secundis rebus superbimus, neque adversis cedimus; neque si quis laudando ad pericula subeunda nos excitare conatur, illecebris movemur, neque si quis vituperando nos compellit, ira commoti non assentimur. Atque propter hanc modestiam et bellicosi et circumspecti sumus: bellicosi, quia verecundia plurimum in se habet modestiæ et fortitudo plurimum verecundiæ; circumspecti, quia simplicius instituimur, quam ut leges contemnamus, et severitate adhibita modestius, quam ut iis non pareamus; simul etiam, quia in rebus inanibus non sumus admodum sollertes; neque enim orationi studemus, sed omisso verborum inani splendore rem ipsam celeriter potius et strenue exsequendam esse existimamus, neque elegantiam sectamur, sed pacis tempore dura potius disciplina et severis moribus corpora ad belli labores perferendos apta efficimus; neque philosophiam docemur, sed ita instituimur, ut et aliorum cogitationes nostris similes esse et fortunæ casus oratione explicari non posse putemus. Quemadmodum autem semper adversus adversarios, qui sibi bene consuluerunt, re factisque nos præparamus: ita spes nostra in peccatis, quæ forsitan illi committent, non collocatur, imo vero in nostra ipsorum cautione tutisque consiliis. Neque existimandum est multum interesse inter hominem et hominem, sed illum, qui in maxima necessitate erudiat, præstantissimum esse“

Simili modo singulorum principum ingenia atque mores in orationibus, quas habent, clare et distincte exprimuntur. Ita enim eas composuit egregius scriptor, ut ad sententiam horum virorum et ad summam vere dictorum quam proxime accedant: „ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δεόντα μάλιστα εἰπεῖν ἔχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ξυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.“ (lib. I. cp. XXII.) Periclis dicendi genus quam grande et sublime! mitem contra atque prudentem Niciam audimus; Archidami verba considerata atque circumspecta senilem quandam præ se ferunt prudentiam; Cleonis rudis natura populique adulatio ex ipsius redolet oratione. Deinde Alcibiadis, Didoti, aliorum orationes quam apte accomodatæ sunt ad virorum adumbranda ingenia moresque describendos!

Itaque sicut medicus, ut qua ratione corporis moveantur membra, doceat, cadaveris musculos omnes ac nervos reteggit et, quomodo cohæreant, discipulis demonstrat, ita Thucydides omnes rerum gestarum verissimas causas et intimos fontes ostendit, quum humanæ naturæ indolem variasque et diversas naturas gentium et civitatum formas, principum virorum consilia, ingenia, mores quasi rerum gestarum musculos atque nervos clare atque perspicue lectori ante oculos ponit; unde Thucydides hæc historiæ conscribendæ ratio græco vocabulo *πολιτικῆ* laudata est, quia ad civilium rerum rationes perdiscendas maxime est idonea, atque opus, quod conscripsit Thucydides, uberrimos in se habet fontes omnis veræ scientiæ civilis, unde omni tempore ii rationes hauriant, qui ad rei publicæ administrationem adspirant. Versari enim in illius libri lectione nihil aliud est, quam quum singulos homines tamquam agentes inspicere tum in negotiorum civilium aut militarium administratione versari. Neque illius tantummodo belli Peloponnesiaci res gestæ, sed totius quodammodo generis humani historia hoc opere continetur. Res enim gestæ aliis temporibus aliæ evadant, civitatum formæ mutantur; fons autem, unde omnes illæ res profluunt, idem semper manebit, quam diu natura humana eadem erit (*„γγνώμῃνα καὶ αἰεὶ ἐσόμῃνα ἕως ἂν ἡ αὐτὴ φύσις ἀνθρώπων ᾗ“* (lib. III, cap. LXXXII.); hanc igitur qui perspexerit, omnes, quæ accident, res atque, qua ratione sint ferendæ et tractandæ, facile cognoscet; etenim, ut ait Thucydides — *„τὰ μέλλοντά ποτὲ αὐθις κατὰ τὸ ἀνθρώπειον τοιαῦτα καὶ παραπλήσια ἔσεται.“* (lib. I. cp. XXII.) Itaque opus suum non hominum aures oblectaturum esse confirmat, sed — ut repetamus egregie dictum — *„Κτῆμα ἐς αἰεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν ξύγκειται.“* l. c.

Exposui fere, ut potui, quanta mentis acie Thucydides, postquam res scribendas eximio veritatis studio maximaque diligentia collegit, ab externa rerum gestarum specie ad intimos earum fontes verasque rationes penetraverit. Eadem hæc iudicii subtilitas requiritur, ut unaquæque res quanti sit momenti cognoscatur et quantum ad rerum gestarum progressum valuerit, ut graviore res discernantur a levioribus, eæ, quæ nullius omnino sunt momenti, rejiciantur, ceteræ pro suo quæque pondere atque momento teneantur; unum enim esse oportet scriptoris consilium, quocum omnia quæ narrantur cohæreant, ita ut in tota explicatione neque redundet quidquam nec desideretur; totum opus unum esse oportet et simplex.

Thucydides quum belli Peloponnesiaci historiam conscriberet, unum certum totius explicationis filum tenuit, omnia ad eundem finem direxit, ad quem quæ non pertinebant, omnia præterit, quamvis quarum fieret mentio per se essent res dignissimæ, itaque Aristophanem, Phidiam aliosque viros, qui quamquam tum maxima florebant gloria, hoc tamen bello insignes non fuerunt, ne commemoravit quidem et Periclem describit virum rerum gerendarum peritissimum, non artium liberalium fautorem. At digressiones, quas sæpius facit, nonne dirimunt hanc totius operis simplicitatem? nonne plerumque in rebus versantur a bello Peloponnesiaco omnino alienis? — Videamus! digressionum illarum nonnullæ sunt perexiguæ, quas omittamus; majores autem sunt præcipue quatuor: una in primo libro, quæ Pausaniæ et Themistoclis mortem enarrat; deinde in altero libro, quæ exponit, quomodo singuli vici, qui antea in Attica fuissent, a Theseo conjuncti unam urbem Athenas effecerint; tertia in eodem libro, quæ Cylonis conatum imperii arripiendi tractat; quarta denique in libro sexto, quæ Pisistrati filiorum imperium et exactionem explicat. Quæ res omnes ad bellum Peloponnesiacum sane non pertinere videntur; nam et Theseus et Cylon et Pisistratus et Themistocles diu jam mortui erant, quum bellum exarsit; sed nonne vides, qua ratione illæ digressiones Athenarum omnem usque ad bellum Pelopon-

nesiacum historiam complectantur, inde a Theseo, Athenarum auctore, usque ad Themistoclem? nonne sentis, quam egregia arte his digressionibus scriptor omnia insigniora Athenarum historiae momenta perstringat, ita ut totam fere hanc historiam narratio hujus belli referat, ut totae fere Athenae nobis ante oculos ponantur, neque solum status, quo tunc summe floruit urbs, in Periclis funebri oratione exponatur, sed etiam, qua via et ratione ad hunc statum pervenerit, in his digressionibus explicetur? et inde equidem, ut id quod sentio dicam, optimo jure colligere mihi videor Thucydides belli Peloponnesiaci enarrationem eo praecipue spectare, ut explicet illo bello Athenas a summo gloriae ac potentiae fastigio ad miserrimam conditionem detrusas esse; cum hoc enim consilio optime convenire videntur et illae digressiones et aliae multae res, velut ubertas sermonis, quum Athenas Pericle duce maxime florentes describit, commotius dicendi genus, quum expeditionem Siciliensem explicat, quae totius Athenarum adversae fortunae quasi fons exstitit et origo. Illud igitur propositum qua ratione persecutus sit Thucydides quum perscrutarer, mirum mihi apparuit ingenium, mirae ars summi hujus historici; tota enim belli Peloponnesiaci historiam, — ut, qua antea jam usus sum, imaginem repetam — unum quasi corpus mihi videbatur, quod primo carne nudavit Thucydides, venas, musculos, nervos elegit, eorum rationem ac cursum investigavit; deinde quum penitus omnia perspexisset, summo artificio nervos et musculos et venas iterum composuit, carne contextit miraeque arte integrum refecit corpus. Etenim quum causas indagaret, quibus acciderit, ut Athenae hoc bello ad perniciem essent adductae, singularum rerum publicarum conditiones, civitatum formas earumque statum, quem tunc tenerent et quem antea habuissent, animo complexus quattuor quasi fila reperit, quibuscum in quaque Graeciae civitate rerum publicarum gloria ac dignitatis imminutio conjunctae essent atque nexae: primos domesticos rerum publicarum progressus, deinde expeditionum suscipiendarum studium, tum copias navales, denique imperium, quod in socios tenetur. Quo perspecto quatuor illa fila operi suo quodammodo intexit eaque rerum gestarum narratione, ut nervos corporis carne, amixit idque tam perfecte confecit, ut bellum integrum lectori perspicue ante oculos ponatur. Quatuor illa fila et in proemio invenies et in ipsa belli narratione; ubi quasi decussantur, insigniora existimavit Thucydides esse momenta, in quibus consistat lector paululumque moretur; itaque his praecipue locis contiones illas — in quibus maxime summa Thucydides ars est conspicua — narrationi interposuit, ut interiores rerum gestarum rationes perspicias. In primi enim libri capp. XCVI — CXVIII, quomodo Athenae imperium suum in socios obtinerent, ut exponat Thucydides, inde a Pausaniae prodicione incipit, qua factum esse docet, ut aequo foedere socii cum Athenis jungerentur; aetarium in Delo insula institutum esse; quum nonnulli sociorum imperiosius tractati deficere conantur, Athenienses eos vi et armis retinere student, artificio doloso omnes iis navales copias subducunt atque efficiunt, ut ipsi totius fere Graeciae classem conjunctam teneant. Quo quum socii abalienarentur, complures desciscere studuerunt et Lacedaemonios, ut se vindicarent, incitant; hi autem Messeniaco bello impediuntur. Athenis interea longi muri aedificantur, Cyprus insula a Cimone subigitur, et quum Euboea et Megara deficerent, Pericles mittitur, ut eas in servitutem redigeret; idem Samios, quum desciscerent, vicit iisque saevas pacis condiciones imposuit ceteris. Brevi post Corcyrae et Potidaeae illae res accidunt, quae ut exardesceret bellum fecerunt. Hac narratione externam quodammodo rerum gestarum faciem atque ordinem tibi proponi senties; intimos, qui has res movissent, nervos et quasi animum in illa Atheniensium contione cernas, quam Lacedaemone statim ineunte bello habuerunt. Quum enim socii vehementer in Athenienses inveherentur, quod imperiosius sese tractarent, Atheniensium legati „hoc imperium — ajunt — non per vim arripuimus, sed accepimus, tum quia vos, Lacedaemonii, Graecorum imperio contra Persas abdicaveratis, tum quia socii nos rogabant, ut suarum copiarum du-



ces esse vellemus. Deinde vi et natura ipsius rei imperium in hunc statum perducere coacti sumus, praecipue quidem prae metu, deinde vero honoris etiam causa, postremo etiam utilitatis gratia; neque enim amplius tutum esse videbatur imperio deposito periclitari, quum multis invisus essemus, quin etiam, quum nonnullos, qui a nobis defecerant, jam subegissemus, vosque, Lacedaemonii, non amplius aequae atque antea essetis amici, sed suspectos nos haberetis nobisque essetis inimici; neque ulli mortali est invidendum, si in maxima adductus pericula suis rebus quam optime prospiciat. Itaque nullum ab hominum institutis alienum facinus perpetravimus, quum imperium nobis traditum acceperimus susceptumque deponere nolimus tribus maximis rebus coacti: honore, metu, utilitate. Neque vero nos primi hujus exempli auctores fuimus, sed perpetuo quodam naturae jure est constitutum, ut imbecillior a potentiore cœrceatur.“ Hanc contionem cum illa narratione quum comparem, verissime sensisse illi mihi visi sunt viri docti, qui in orationibus quasi animum totius operis inesse praeclare dixerunt, in narratione quasi corpus animo circumdatum ab eoque gubernatum. Sicuti enim in animo hominis, priusquam per corporis membra aliqua actio efficiatur, praecedat necesse est voluntas et consilium quoddam movendi: ita in orationibus internae rerum rationes atque consilia explicantur, in narratione externa rerum gestarum series simpliciter plerumque traditur. Quocum cohaeret, quod binae semper fere conjunctae videntur orationes, ut, quum duae sint certantium partes, ab utraque parte res exponantur, qua in re id semper maxime mihi visum est admirandum, quod pro utraque parte Thucydides omnes omnino res attulit, quae afferri potuerunt. Ita exardescente bello et Corcyraeorum et Corinthiorum legati Athenas mittuntur; illi ut ad Corinthiacum bellum Athenienses sibi socios conciliarent, hi, ut Athenienses a fœdere cum Corcyraeis ineundo prohiberent; ab utrisque causae tam graves proferuntur et utrorumque res tanta orationis vi aguntur, ut equidem quum legissem, magnopere dubitarem, utris consentiendum esse putarem legatis. Quanta igitur animi agilitate verborumque volubilitate utramque rem cogitatione comprehendit Thucydides! Idem invenies in reliquis orationibus; etenim in Periclis verbis et in Cleonis tam diversae naturae accuratissime depinguntur, ut ars miranda sit, qua scriptor sua ipsius natura quodammodo deposita in utriusque illorum virorum ingenium et mores totus ferme insinuaverit. Et ipsae orationes quanto studio sunt elaboratae, quanta arte compositae! non solum enim omnia dicta sunt, quae dici potuerunt, sed suo quaeque etiam loco, ubi plurimum proficere et valere possint, sunt deposita. Atque egregiam hanc, quae toto opere conspicitur, artem, mirum profecto, quanta ordinis simplicitate texerit scriptor; omnes enim hujus belli res gestas „κατὰ θέρος καὶ κατὰ χειμῶνά“ narrat et, ut accuratius etiam anni tempestatum partes distinguat, addit: „ἀρχομένον, μεσοῦντος, τελευτῶντος“ et observationes quasdam ad frumentum spectantes velut „τοῦ σίτου ἔτι χλωροῦ ὄντος“ „ὀλίγον πρὸ τρυγίτου“ „περὶ σίτου ἐκβολῆν“ „πρὶν τὸν σίτον ἐν ἀκμῇ εἶναι.“ etc.

Quae ratio quamquam a multis vituperatur, tamen, quantum equidem existimo, ad singula bella explicanda maxime est accommodata; attamen qui multorum populorum totam comprehendere velit historiam, is certe rerum ipsarum potius naturam atque similitudinem respiciat.

Illa vero Thucydidis ratione optime alii, quam in historico volumus esse, virtuti consulitur, perspicuitati; quae tanta est in Thucydide, ut nullam totius antiquitatis historiae partem clarius perspiciamus, quam XXXI annos belli Peloponnesiaci, quorum res gestas memoriae ille tradidit. Nec mirum est; quum enim tanto studio tanta diligentia, assiduitate, labore res gestas investigasset atque perscrutatus, esset, ut totus in iis versaretur, fieri non potuit, quin clare eas perscriberet; nam tum demum futurum est, ut aliis rem aliquam perspicendam proponamus, quam nosmet ipsi perspectam eam animo tenea-

mus. Una cum hac perspicuitate tota Thucydidis explicatio mirum præ se fert colorem alacritatis atque sermonis vigorem; quæ omnes expositionis virtutes cum illo, de quo supra disputavimus, acri in rebus gestis perscrutandis studio cohærere videntur; quum enim rebus gestis, quas indagabat, Thucydides adeo imbutum haberet animum, ut omnia, quamquam absens, mente cernere videretur et, tamquam omnibus rebus ipse interfuisset, narraret: tota narratio conveniret necesse erat rerum gestarum naturæ; unde omnia, quæ narrat Thucydides, non quasi narrentur audimus, sed quasi gerantur videre opinamur; eodem pertinet frequens usus præsentis historici et conjunctivi pro optativo in sententiis secundariis, quamquam in sententia primaria præcedit tempus præteritum; hæc et ejus modi alia ex alacri scriptoris animo profluunt, qui totus versatur in rebus gestis et præterita tamquam præsentia oculis cernere sibi videtur, unde scenicam quandam actionem in hac narrandi ratione invenimus; in populi enim inducimur contiones, senatus conventibus ipsi intersumus, oratores audimus; deinde in locorum descriptione nonne cujusque loci naturam ipsi oculis quodammodo intuemur? pugnarum autem explicatione quid præstantius esse potest? naves utrimque accedere, aciem institui, ordines disponi, suum quemque locum duces occupare, prælium committi, pugnare, resistere, fugare, prosequi, naves demergi, homines trucidari, omnia hæc oculis intueri, omnibus ipsi interesse nobis videmur; legas velim prælium illud apud Sybota commissum, legas Plataensium obsidionem ex urbeque eruptionem, pestilentia sævitiam, ultimam in Sicilia commissam pugnam navalem, ubi maxime senties, quantopere historici ipse sermo referat rerum gestarum quasi colorem, ita ut ipsa dictionis gravitate propius ad poësin accedat oratio, quod idem Cicero miratur egregie dicendo: „incitator fertur Thucydides et de bellicis rebus canit etiam quodammodo bellice.“ Unde etiam non est mirandum nonnulla vocabula eorumque formas, significationes, structuras atque dicendi figuras inveniri apud Thucydidem, quæ poëtarum sunt propriæ; quod injuria vehementer alii vituperarunt. Vix enim Thucydidis ætate oratio soluta erat poëtarum vinculis; logographi illi, qui antea fuerunt historici, eo tantummodo a poëtarum sermone recesserant, quod singulorum versuum vincula solvebant (*λύσαντες τὰ μέτρα*). Certe igitur illo tempore multorum usus vocabulorum vixit multaque omnibus erant concessa, quæ postea, quum obsolevisent, immerito Thucydidi vitio data sunt.

Nunc vero ad eam mei propositi partem, ut Thucydidis dicendi exponam rationem, accedam, quam quidem rem ita instituemus, ut præter historici ingenium atque naturam linguæ quoque qua utitur, conditionem respiciendam existimemus.

Qui ante Thucydidem historici exstiterant, omnes jonica dialecto usi sunt; apud Thucydidem contra Atheniensem purissima dialectus invenitur attica; illam multarum concursus vocalium mollem effecit atque hilaritati maxime accomodatam; hæc, præcipue vetus attica dialectus, quam Thucydides adhibuit, vocalium contractione compressoque paululum sermone granditatem quandam in se habet atque, si jonicam cõfers, asperitatis aliquantulum. Neque tamen Thucydidis tempore, quamquam vix e cunabulis prodiit et in pueritia admodum versabatur, omnino erat rudis atque inculta; sed viguerunt veteres illi oratores, quorum primus fere habetur Themistocles, princeps Pericles; rhetor tum floruit Antiphon; illum certe sæpissime dicentem audivit, hoc doctore usus esse dicitur Thucydides; illius granditatem in dicendo ac sublimitatem cum hujus subtilitate atque prisca verborum vetustate ita conjunxit, ut recte veteres doceant, illorum virorum quale fuerit dicendi genus, maxime ex Thucydidis scriptis posse cognosci. Fuerunt illi viri Cicerone auctore subtiles, acuti, breves, sententiis magis quam verbis abundantes, quas omnes illius dicendi generis virtutes duobus liceat nobis comprehendere verbis: subtilitate atque sublimitate.

Corruptionis linguæ certissimum est signum, quum singula verba atque dictiones multo usu contritæ sunt earumque vis abolevit, ut sæpissime, quum iis utamur, propriam atque integram earum vim et significationem non omnino accurate comprehendamus; quo fieri solet, ut quæ plus valeant dictiones adhibeamus; unde sermonem quemque in argentea (quæ dicitur) ætate tumidam fieri patet atque inflatam. In juvenili contra ætate tantam in se habet alacritatem, ut acutissima subtilitate omnia verba et dictiones omnes propriam suam significationem teneant. Hæc autem subtilitas in Thucydides stilo præcipue apparet; unumquodque enim vocabulum acutissimi iudicii quasi trutina examinatum propriam suam atque primariam vim et integram tuetur, unde sæpissime inveniuntur maxime subtiles oppositiones vocabulorum, quæ idem fere significare putantur; quum autem non semper suppetere videret verborum, quanta tunc erat, copiam, interdum etiam nova verba formavit Thucydides tum compositione tum derivatione.

Magna sæpe cum subtilitate neutrum nominum adjectivorum genus ponitur, quo incerti aliquid significetur, velut quum Syracusis factio esset, quæ Atheniensibus favebat, „ἦν τι — inquit Thucydides — ἐν ταῖς Συρακούσαις βουλόμενον τοῖς Ἀθηναίοις τὰ πράγματα ἐκδοῦναι,“ quo egregie indicatur, quam obscure atque occulte turbulentus ille motus, quasi ignis cinere obrutus, glisceret.

Eadem hac subtilitate vocabulorum conjunctiones eliguntur, ut quum exempli gratia duo vel plura membra unum aliquod efficiunt enunciatum, membra non eadem conformentur structura, sed ab alia ad aliam structuram fiat transitus; cujusmodi in conjunctionibus, quippe quæ variam efficiant orationem, posita est illa oratio variata sive inæqualis, quam dicunt; in hac autem oratione variata eximia quædam subtilitas esse solet; etenim quum dicit Thucydides: „δοκεῖ δέ μοι, οὐδὲ τοῦνομα τοῦτο ξύμπασά πω εἶχεν, ἀλλὰ τὰ μὲν πρὸ Ἑλλήνων τοῦ Δευκαλίωνος καὶ πάντων οὐδὲ εἶναι ἢ ἐπίκλησις αὐτῆ, κατὰ ἔθνη δὲ ἄλλα τε καὶ τὸ Πελασγικὸν ἐπιτιθέστον ἀφ' ἑαυτῶν τὴν ἐπωνυμίαν παρέχουσαι.“ (lib. I, cp. III.), non sine ratione in primo membro posuit indicativum et transit deinde ad infinitivum; illam enim primam sententiam (εἶχεν) certam sibi que persuasam habet; quæ deinde sequuntur, conjectura potius suspicatur. Ejusmodi orationis exempla in Thucydides opere ubique tam sunt crebra, ut propterea scriptor vocatus sit *ποικιλώτατος*; etenim numeros variari invenies et casus et nominum genera et genera verborum et modos et tempora et pronomina et personas et præpositiones et conjunctiones ita tamen, ut semper aliquam ingenii subtilitatem in hac oratione variata facile intelligas.

Eadem ratione explicanda est illa, qua sæpissime utitur Thucydides, structura *κατὰ τὸ σημαίνον*, ubi verba ad ea, quæ cogitata sunt, potius accommodantur, quam ad ea, quæ sunt posita. Deinde quum rerum multitudine districtus aliquem casum vel modum ita ponat, ut verbum ei accommodatum vel ante se posuisse putet, vel quidem subjicere in mente habeat, duas loquendi rationes sæpissime Thucydides confundit. Eodem pertinet licentia quædam et concisa brevitatis in componendis vocabulis; simpliciter enim plerumque verba sunt nexa, quo clarius sententia cognoscatur, velut ἢ οὐ περιτείχισις. Similis est licentia, quum substantiva casum verborum, unde derivata sunt, adjunctum habent ut: τὸ αὐτὸ ὑπὸ πάντων ἰδία δόξασμα. In tota hac verborum jungendorum et componendorum ratione posita est illa, quæ omnia acu tangit, celeritas significationis (*τάχος τῆς σημασίας*), quam veteres sunt admirati; eadem ratione compressa redditur oratio et densa et efficitur illud, quod τὸ πνικρόν nominabant grammatici.

Arguti artique et circumspecti verborum ambitus apud Thucydidem non inveniuntur; sed medium quiddam tenet dictio inter logographos, qui singula „κῶλα“ conjungebant, et illum, qui aptæ et quasi ro-



tundæ verborum compositionis est pater appellatus, Isocratem. Quamquam enim longa sæpe verborum continuatio sententias comprehendit, tamen hoc verborum corpus neque concinnum est nec teres neque expeditum et facile currens, sed graviter plerumque et durius incedit. Etenim ut consilii alicujus aut actionis causæ explicantur, multæ semper coacervantur sententiæ secundariæ tum participiis tum relativis vocabulis tum conjunctionibus subjunctæ, eaeque iterum aliis ejusmodi sentiitiis fulciuntur, ita ut una illa primaria sententia acervum quodammodo attrahere videatur sententiarum minorum exempli causa: „Κορίνθιοι δὲ, κατὰ τε τὸ δίκαιον ὑπεδέξαντο τὴν τιμωρίαν νομίζοντες οὐχ ἦσσαν ἐαυτῶν εἶναι τὴν ἀποικίαν ἢ Κερκυραίων ἅμα δὲ καὶ μίσει τῶν Κερκυραίων, ὅτι αὐτῶν παρημέλον, ὄντες ἄποικοι· οὔτε γὰρ ἐν πανηγύρεσι ταῖς κοιναῖς διδόντες γέρα τὰ νομιζόμενα, οὔτε Κορινθίῳ ἀνδρὶ προκαταρχόμενοι τῶν ἱερῶν ὡσπερ αἱ ἄλλαι ἀποικίαι, περιφρονοῦντες δὲ αὐτοὺς καὶ χρημάτων δυνάμει ὄντες κατ' ἐκείνον τὸν χρόνον ὁμοῖα τοῖς Ἑλλήνων πλουσιωτάτοις, καὶ τῇ ἐς πόλεμον παρασκευῇ δυνατώτεροι, ναυτικῷ δὲ καὶ πολὺ προέχειν ἔστιν ὅτε ἐπαιρόμενοι, καὶ κατὰ τὴν τῶν Φαιάκων προενοίησιν τῆς Κερκυρας κλέος ἐχόντων τὰ περὶ τὰς ναῦς· ἢ καὶ μᾶλλον ἐξήρτυνον τὸ ναυτικὸν καὶ ἦσαν οὐκ ἀδύνατοι κτήρεις γὰρ εἴκοσι καὶ ἑκατὸν ὑπήρχον αὐτοῖς ὅτε ἤρχοντο πολεμεῖν. Πάντων οὖν τούτων ἐγκλίματα ἔχοντες οἱ Κορίνθιοι ἔπεμπον κ. τ. λ.“ (lib. I, cp. XXV.)

Deinde in verborum collocatione eadem inest illa subtilitas, quam in eligendis et componendis vocabulis esse exposuimus. Neglectis enim sæpe regulis grammaticis ea ratione singula verba collocantur, qua sententiam accuratissime exprimant; ita vocabula, quæ inter se sunt opposita vel sibi respondent, eundem in enunciatis tenent locum.

Omnibus his rationibus fieri non potest, quin sæpe aspera fiat dictio Thucydidis, ut veteres eam cum austero vino Falerno vel cum salebrosa via comparaverint, in qua ubique offendat viator. Itaque stilus eadem ratione distat ab eleganti illo Lysiæ, qua Aeschyli poëtæ dictio ab Euripide est diversa.

Similiter accurata arte singularum sententiarum membra plerumque inter se sunt opposita, ut interdum affectata videatur oratio et ad Gorgiæ spinosam artem accedat. Verumtamen ubi civitates vel homines, quorum indoles opposita est, comparantur, aptissimum locum habet illa membrorum oppositio et acuta ratio, qua singulæ sententiæ inter se respondent, mira sæpe lectorem perfundit suavitate.

Ad eandem hanc rationem pertinent figurae dicendi (*σχήματα τῆς λέξεως*), quae saepius inveniuntur apud Thucydidem, velut paronomasia, homœoteleuta, homœoptata, parisa. Omnes contra sententiarum figurae (*σχήματα τῆς διανοίας*), quae ex animi permotionibus nascuntur, ut in artificii quibusdam versentur rhetoricis, multum absunt; nulla invenitur ironia, qua adversarius irrideatur, nulla aporia, quasi verba sententiam adaequare non possint, nulla epidiorthosis, nulla anaclasis, nulla climax, nullae aliae ejusdem generis figuræ, quibus oratorum illa, quam dicunt, *δεινότης* efficitur. Sed toti operi perfusam quodammodo senties sedatam quandam tranquillitatem et sublimitatem, quod *σὸ σεμνόν* Græci vocabant. Hanc autem grandem Thucydidis sublimitatem adeo admirati sunt veteres, ut cum Pindaro eum conferendum esse putarent; ac profecto non injuria! Quamquam enim nonnullæ narrationes, eæ praecipue, in quibus fabulas tractat, ut illa de Thereo, Procnae marito, tanta dulcitudine ac suavitate legentium animos oblectant, ut leonem id risisse praeclare dicant grammatici: tamen, si totum comprehendis, severitatem et granditatem tota prae se fert explicatio; major additur sonus et altius assurgit in viva pugnarum descriptione; maxime tamen in orationibus haec sublimitas est perspicua. Illa enim, ut praestantissimum eligam exemplum, Periclis funebri oratione quid grandius esse potest?

quanta simplicitas sine ullo fuce ullisque verborum lenociniis! quae in tota contione regnat dignitas, quae sedata tranquillitas, quae severitas! referta est oratio argutis sententiis, rerum compressione brevis, ita ut verissime illud a Cicerone sit dictum: „ita creber est Thucydides rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numerus consequatur.“ Cum hac autem sublimitate aptissimi cetera omnia, quae Thucydidis stili sunt propria, conjunguntur eamque adjuvant: prisca verborum vetustas, inusitatorum vocabulorum usus, illa magniloquentia, quod τὸ παθητικόν Graeci vocant, rerum compressione densa atque spissa oratio, brevilloquentia.

Haec orationis brevitatis, quamquam saepius eam jam attigimus, digna videtur, quam integram mente animoque perlustremus et, qualis sit et in quo posita, paucis hoc loco complectemur. Brevitas illa non posita est in vocabulis, quæ ad sententias perspicendas omnino sunt necessaria, saepius omis- sis; omnes enim sententiæ sunt integræ omniaque eorum membra subtilissimo particularum usu (πολυ- δεσμός ἐστι μᾶλλον ἢ πάντες οἱ Ἀττικοί. Schol.) nectuntur atque inter se cohærent. Saepius autem vocabula omittuntur, quæ ex antecedenti oratione vel subsequenti mente addenda sunt, quam structu- ram ἀπὸ κοινοῦ nominant; velut „τὴν τῶν πέλας δηρῶν μᾶλλον ἢ τὴν ἑαυτῶν ὀρεῖν“ et „ὅταν ἐπὶ ἄλλων καὶ μὴ αὐτοὶ τοὺς πέλας ἀδικῶσιν.“ Huc accedit, quod saepe breviores sententiæ atque mediæ quædam periodorum membra non expressis verbis ponuntur, sed particulis potius subtiliter innuntur; quod quo magis tibi probetur, memineris velim usum particularum γάρ et ὁμως; animadvertas quæso illas, quæ in exordio haud raro repetuntur dictiones: „σημεῖον δὲ . . . γάρ“ „δῆλον δὲ . . . γάρ“ cett., ubi saepe in γάρ particula tota quædam sententia involuta latet, ut sit „alioquin“ e. g. ἐπει- δὴ τε ἀφικόμενοι μάχῃ ἐκράτησαν . . . δῆλον δὲ τὸ γὰρ ἔρμα τῷ στρατοπέδῳ οὐκ ἂν ἐτείχισαντο“ (lib. I cp. XI.), ubi sententiæ hæc: „etenim si non vicissent“ in brevi illa particula continetur; similis est usus particulæ „γάρ“ in dictione „οὐ γάρ ἂν“ „alioquin enim non“ et ejusmodi aliis, quæ saepius lectori sese offerunt. Deinde ad usum particulæ „ὁμως“ attendas; e. g. καὶ τινες αὐτῶν ἔπεισαν ἐς τὰς ναῦς ἐσβῆναι ἐπλήρωσαν γὰρ ὁμως τριάκοντα (lib. III, cp. LXXX), ubi hæc fere sententiæ sup- plenda videtur: „quamquam de pacis conditionibus agebant, tamen triginta naves ornaverant.“ Denique arguta quædam notionum densitas et prægnans, qui vocatur, sensus illam brevitatem auget; etenim quum dicit: „ἀγγελοῦμεθα ἐπὶ τὸ πλεον“ „in majus nuntiemur“, hæc dicere vult scriptor „ita nuntietur de nobis, ut opes nostræ majores dicantur et habeantur;“ et „μέχρι τοῦδε ὠρίσθω ὑμῶν ἢ βραδυ- τήσ“ hæc est sententiæ: „hactenus progressa finiatur tandem vestra tarditas.“ — Maxime autem Thu- cydidis brevilloquentia posita esse videtur in illa, quam supra jam exposui, celeritate significationis, qua uniuscujusque vocabuli propriam significationem accurate tangit atque integram comprehendit vim, ut verba gravida sint sententiis. Minime igitur affectata est hæc brevitatis, sed nascitur ex illa sermonis subtilitate et sublimitate. Omnia enim, quæ Thucydidis dictionis sunt propria, optime inter sese cohærent, alterum ex altero nascitur, alterum alteri innititur.

His autem proprietatibus, maxime brevitatis illa, efficitur, ut multi loci difficiles sint intellectu et obscuri, quæ tamen obscuritas optime illam sublimitatem adjuvat; quippe quæ, ut idem fere sentiamus, efficiat, quod templa sublustria ingredientiæ solent sentire, qui sacro quodam horrore et augustæ cujus- dam majestatis sensu mire perfunduntur. Praecipue autem in prooemio et in contionibus multæ in- sunt difficultates. Legas velim funebrem Periclis orationem, quæ referta est difficillimis locis et perob- securis; iterum iterumque ab omni parte vocabula consideres necesse est, ut sententiam intelligas. Atque equidem, etiamsi saepius primorum librorum orationes perlegi, tamen, — quod facile fateor — quoties

interjecto aliquo tempore ad easdem revertor, meditatione acrique animi intentione opus est, ut sententias perspiciam.

Sed dignus est Thucydides, in quo operam laboremque consumamus; neque enim, ut horis subsicivis animum lectoris relaxaret atque exhilararet, ludendo opus confecit, quod segni et inertis et ignavo cuique pateret — profanis enim quasi velum obtendit obscuritatem; — sed viris dignis atque severis et utilitatem quaerentibus ex historiae perscrutatione ut sit perpetuum monumentum, opus non sine magna diligentia atque cura summo ingenio summoque artificio composuit. Atque summum quodque non sine labore appetendum esse solet.

Recte igitur ad ingeniosum hunc historicum studium applicamus; ac profecto, quum ipse Cicero Thucydidis contiones ita multas habere queritur perobscuras abditasque sententias, vix ut eas intelligeret: laudandi sane sunt nostri viri docti, a quibus nullus fere locus in Thucydidis opere obscurus atque difficilis non est illustratus.

Quum essent in Thucyde virtutes tam eximiae ac singulares: non mirandum est multos semper, qui recto iudicio essent instructi, viros illum historicum admiratos esse eumque quasi exemplar sibi proposuisse, qui in eodem litterarum genere elaborarent, ut res gestas memoriae traderent; itaque ipsum illum Dionysium, qui vehementissimum ubique Thucydidis vituperatorem sese exhibet, eundem quem vituperat imitatum esse facile apparet. Similiter et inter Graecos et inter Romanos historicos excellentissimus quisque Thucydidem imitandum ante oculos habuit, nemo tamen eum adaequavit, nedum superavit; perpauci similes atque, qui cum illo conferantur, digni exstiterunt. Ejusmodi enim similitudo non imitandi solo studio efficitur, sed singularem quandam ingeniorum cognationem requirit; et quum scriptorum tempora et rerum quas exponunt natura multum valeant ad proprietates, virtutes, praestantiam historicorum: eorum, qui Thucydidem imitati sunt, et tempora et res scribendae non nimis discrepent a Graeco illo necesse est, ut similes esse possint. Quae cuncta perpaucis contingere facile apparet. Itaque tota omnino antiquitas duos tantum tulit viros, qui doctorum virorum iudicio conferri possint cum Thucyde: **Salustium et Tacitum Romanos.** Quare quum Thucydidem inter omnes, qui similes exstiterunt, antiquitatis historicos esse principem ostendere nobis proposuerimus: penso nostro nobis videmur satisfacere, si Salustii et Taciti cum Thucyde comparisonem instituiamus et, quibus rebus congruere, quibus discrepare videantur, explicamus; quo fieri non poterit, quin Graeci historici virtutibus subtilius cognitae praestantiam atque principatum comprobemus. Quam rem ita tamen instituendam existimamus, ut et temporum et rerum scribendarum strictim ratione habita — summa tantummodo sequentes — et ingenia trium historicorum et artem et dicendi rationem conferamus.

Thucydides quum belli Peloponnesiaci tempore viveret, quo Graecorum rerum condiciones ac formas omnino immutari et civitates ad perniciem duci cognovit, hoc bellum litteris mandare studuit. — Similiter Salustii aetas in turbulentissima incidit tempora, quum pauci nobiles Romae potentiam arripere studerent et illae civitatis Romanae immutationes fieri coeptae essent, quibus vetus illa S. P. Q. R. majestas et amplitudo concidit et praeclara respublica misere est pessumdata. — Quae quidem immutationes Taciti aetate eo perducebantur, ut quum imperatorum saeva dominatio ad summum superbiae crudelitatisque fastigium ascenderet, illi paulo ante terrarum domini acerbissimo teterrimorum tyrannorum dominatu oppressi tenerentur; quo accessit morum depravatio hominumque in dies aucta ignavia



et malitia; populus enim Romanus quum turpissimis vitiis ac sceleribus tum adulatione tantopere laborabat, ut ipsos tyrannos istius hominum imbecillitatis tæderet — testis est ipse Tacitus *annal.* lib. III. cp. LXV. — Quare uterque Romanus, sicuti Thucydides, suae praecipue aetatis historiam, quam memoriæ traderet, dignam existimavit, et ex tristissima, quae eorum aetate erat, rerum publicarum conditione fieri non potuit, quin omnium trium operibus dolor ac mæstitia et color quidam tragicus adderetur, quem minus tamen, quam Thucydidis, Salustii scripta referunt, magis Taciti. —

Thucydides rebus, quas narrat, permultis ipse testis interfuit. — Et Salustius et Tacitus Romae vixerunt; illi bello Jugurthino ipse interfuit; hic in Britannia cum Agricola fuisse fertur. —

Thucydides in investigandis rebus gestis aptissime adjutus fuit Athenarum civitatis forma; praeterea principum familiaritate usus est et patria pulsus procul a re publica res gestas acriter animadvertit. — Salustius, quamquam ejus tempore res jam cœptae essent non publice geri, sed unius potius voluntate omnia regi, tamen cum principibus nonnullis, velut Cæsare, familiaritate conjunctus erat, et quum historiam scriberet, nullo munere districtus privatus Romae fuit. — Tacitus omnium difficillime ad perfectam rerum cognitionem pervenit; quamquam enim et ipse Romae vivebat, tamen quia omnes res graviore in principis cubiculis occulte tractabantur et „imperatorum res florentibus ipsis ob metum falsæ, postquam occiderant, recentibus odiis compositæ“ erant: maximas superaret necesse erat difficultates, ut res quae et quales gestæ essent, perspiceret.

Illa iudicii subtilitas, qua leviores res a gravioribus facile discernantur, ut nihil in narratione desit, nihil redundet, quantam in Græco fuisse admirati sumus, tanta non fuit in Salustio; etenim, ut id ita esse doceam, in belli Catilinarum historia nonnullas sane graves ac necessarias res omnino omissas esse a Salustio, ex Ciceronis, Plutarchi Dionisque scriptis intelligimus. — Tacitus autem æque ac Thucydides omnia „quæ parva sunt dictu“ omittit, omnes „res illustres“ comprehendit lectorique proponit.

Et Thucydides et Salustius et Tacitus quum suarum ætatum historiam et turbulenta partium certamina, quibus ipsi erant læsi, litteris mandarent: timendum est, ne ira ac studio sint corrupti. — Thucydidem ab omni partium studio liberum fuisse quum exposuerimus, nunc Romanos consideremus. — Et Salustius quidem quamquam in „bello Catilinario“ Ciceronis merita parcius exponit et Cæsari nimis favere videtur: tamen ipse sæpius profitetur sese de rebus gestis „quam verissime possit“ esse dicturum; et in belli Jugurthini historia certe excellit ejus æquitas atque integritas iudicii; accedit, quod alii Romani auctorem eum laudant „certissimum“ et ceteri, qui easdem res gestas tradiderunt, cum Salustio omnino consentiunt. — Quam incorruptus Tacitus rerum gestarum sit narrator, quum omnia „sine ira ac studio, quorum causas procul habeat,“ memoriæ tradere sibi proposuisset, omnibus notum est. Ac profecto quamquam acerbissima indignatione in principum scelera et serviles æqualium mores invehitur: tamen etiam Claudio imperatori aliquid certe laudis tribuit et sæculum suum libertatis capax non esse recte intellexit. — Uterque Romanus, magis tamen Tacitus incusatur, quod res et homines pejores potius quam meliores habuerit et descriperit; hoc tamen crimen, si quod est, magis in depravatos æqualium mores, quam in scriptorum ingenia atque indolem cadere videtur.

Thucydides a partium studio adeo erat remotus, ut tota ejus explicatio dura videatur ac pæne ferrea, quasi omni humanitatis sensu destitutus sit scriptor; etenim velut rupes videtur medijs in fluctibus sita, quæ undis strepentibus non commovetur, quum facile sub ejus radicibus frangantur tempestatum impetus. Romani contra ipso rerum scribendarum flumine ac motu trahuntur, feruntur, rapiuntur,

ita ut in eorum expositionibus vehemens animorum quidam flagret calor, vehementior tamen apud Tacitum, qui tristem mæstitiam et gravissimos dolores etiam verbis prodit eligendis.

In Thucydide illud „πραγματικόν“ summis effertur laudibus, quod tanta sagacitate rerum gestarum veras rationes, causas, conjunctiones indagavit; qua in causarum investigatione tantum abfuit, ut dramaticorum scriptorum instar deos in scenam produceret, ut libero ab æqualium superstitione animo servato in ipsis rebus humanis, quoad fieri posset, perfugium quoddam ac præsidium collocaret eamque ob rem præcipue singularum civitatum diversas formas rerumque publicarum administrationes accurate exponeret. — Salustius prope ad eam, quæ in Thucydide de diis fuit, opinionem accedit; quamquam deos esse non negat, tamen a superstitione vacuus rerum gestarum causas in ipsarum rerum humanarum conditione investigandas esse existimavit, ita tamen, ut humanam naturam atque indolem acutius perspexerit ac descripserit, quam civilium rerum rationes. Quare Salustii historia non pariter ac Thucydidis iis accommodata est, qui res civiles sunt aggressuri, sed eos potius egregie docet, qui animi humani reconditam naturam variasque permotiones perscrutari velint ac perspicere. — Tacitus quum imperatorum sævam dominationem tamquam necessitate a fato ductam in dies crescere omnesque viros præclaros, qui ei resisterent, opprimi videret atque hominum imbecillitatem, ignaviam, malitiam magis magisque augeri: vehementi dolore commotus prorsus desperat de aequa rerum humanarum administratione; ira potius deorum ac fato tristissimas, quas vidit, res accidere conqueritur; quo fit, ut acerbam quandam tota ejus historia præ se ferat mæstitiam. Quantopere autem enixus sit Tacitus, ut expositione sua non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sint, sed ratio etiam et causæ noscantur, facile intelligas, si nonnullas tantummodo ejus libri paginas legendo percurreris. Profecto enim et Thucydide et Salustio et omnibus fere, qui unquam fuere, historicis eo longe præstantior est Tacitus, quod occultissimos animi humani recessus explicat, hominum dissimulationis tegumenta quasi detegendo veras voluntates aperit atque principum ingenia ac mores paucissimis sæpe verbis summa subtilitate depingit. Sed multo etiam propius, quam Salustius, accedit Tacitus ad Thucydidis illam civilem rationem, quippe qui ad civilem formam rerumque publicarum administrationem plerumque res referat ita tamen, ut magna inter Thucydidis et Taciti rationem intercedat differentia; cuius quidem rei causa in eo potissimum cernenda videtur, quod Tacito non variæ, sicut Thucydidi, civitatum formæ, sed una rerum Romanarum administratio obversabatur. Romanus uterque morum potius descriptione Græcum superat, quia quum Thucydides civitates plerumque ac multitudines comprehendat atque consideret, Salustius et imprimis Tacitus singulos viros resque omnes unius consilio ac voluntate rectas proponit.

Thucydides illas rerum gestarum causas ac rationes, animum quasi, quo reguntur, in orationibus exposuit. — Similiter Salustius crebras narrationi intexit contiones easque summa arte ad oratorum ingenia ac mores accommodavit. Neque tamen eadem est ratio in utriusque orationibus; Thucydides enim non solum oratorum naturam atque indolem adumbravit, sed etiam, ut rerum gestarum causas ac rationes funditus hauriat, civitatum formas et commoda et incommoda, quæ inde nascantur, in contionibus exponit et, ut ab omni parte res ponderentur, ab utrisque certantium et pro utrisque causas ac sententias explicari facit. Salustius suis sententiis animique voluntatibus in orationibus interdum indulgisse videtur, ut eas disertissimis verbis exponentes sæpe inducat oratores. Quod autem tam crebræ contiones inveniuntur apud Salustium, eodem, quo exordia illa philosophorum more instituta et crebras sententias nervose dictas, referendum esse puto. Salustius enim ad hoc propensus fuisse videtur, ut

res gestas diligenter secum reputaret, ut a singulis rebus generalem quandam sententiam repeteret atque aretalogorum more de virtute praeceperet. — Tacitus quamquam viros insignes dicentes facere solet, tamen orationes non Thucydidis more libere quasi incedentes rerum gestarum causas retegunt, sed in rerum potius relatione atque ingenii morumque adumbratione versantur; nec mirum est, quum in rebus gerendis — qui tunc erat rerum Romanarum status — ejusmodi orationes non essent habitae. Neque suam cogitationem explicat scriptor in orationibus; per totum potius opus Taciti ingenium spirat ejusque et sentiendi et cogitandi ratio ubique exhibetur.

Illam artem, qua Thucydides totum opus suum composuit idemque semper tenuit narrationis filium, in Salustio, quantum equidem existimo, desideramus. Memineris velim, Catilinarii belli historia qua ratione procedat; primo alte incedit ingressio philosopha de corporis animique differentia; deinde quum fore professus sit scriptor, ut brevitati studeat, ad Catilinam vertit orationem; quo de viro unum vix caput scripsit, quum — tamquam eum poeniteat illius propositi — alterum jam adducit exordium de prisco rerum Romanarum statu. Utrumque exordium quam sit ingeniosum et quam subtiliter dispositum, quamvis certe mireris: rerum ordinem tamen vituperes. Similiter ubi jam in media aut extrema narratione versatur Salustius, multas saepe res infercit, quae antea erant exponendae. — Tacitus externo jam rerum ordine Thucydidis similior est, quum annales certe inde nomen traxerint, quod „suum quaeque in annum“ relata sunt. Et haec ratio rerum gestarum naturae omnino fuit accommodata; imperatorum enim potentia atque crudelis dominatio, quam annalibus mandavit Tacitus, ita sensim accrevit, ut aptissime per singulos annos eam persecutus sit scriptor. Omnino autem, sicut Thucydides, ita etiam Tacitus temporum consecutioni ubique sese accommodat, non tamen eadem atque ille constantia; etenim domesticorum malorum satietate pulsus diutius interdum in externis rebus moratur.

Nunc ad dicendi rationem trium historicorum me converto, quae multa ad comparandum praebet similia. Constat enim et Salustium et Tacitum imitandum sibi Thucydidem proposuisse ejusque in scribendo sese esse simillimos cupivisse; quare apud utrumque Romanum scriptorem multae inveniuntur structurae, quaedam etiam vocabula, quae a Graecis sunt petita. Omnia autem singula in uniuscujusque stilo comparando persequi quum longum sit, trium historicorum breviter potissimum et sublimitatem conferemus.

In hisce tribus scriptoribus, Thucydidem dico, Salustium, Tacitum, quamvis breviter quandam facile invenias, ipsa non eadem est judicanda. Verbis artiores sunt Romani, in particularum usu multo parciores; atque si Thucydides dictus est *πολυθεσμός*, Romanorum oratio referta est illis, quae dicuntur, asyndetis; si Thucydidis breviter maxime sitam esse diximus in celeritate quadam significationis et in mira subtilitate, qua uniuscujusque vocabuli significationem acu tangit vimque omnem comprehendit: Salustius potius brevis videtur sententiis singulis gravissimis nervoseque dictis atque abrupto sermonis genere et ea narrandi ratione, quae non in explicatione, quemadmodum quid factum sit, moretur, sed factum id esse confirmans summam rei et eventum dixisse satis existimet. — Similiter Taciti tota rerum explicatio breviter est et astrictior, ut saepe ex eo, quod dictum est, intelligas necesse sit, quod non dictum est. Thucydidis non rerum explicatio, sed solum dicendi genus breve est, ita ut, si plenas verborum notiones cogitatione perpenderis, omnia dicta esse sentias nec quidquam, quod non sit dictum, remanere. Itaque Thucydidis brevitas in verbis sita est, quae sententiis sunt gravida; sententiae ipsae sunt integræ optimeque nexae: Romani et verbis parci sunt et sententiis et sententiarum conjunctionibus, qua pressa scribendi ratione factum est, ut in Salustii et imprimis in Taciti historia eandem,



quam apud Thucydidem, inveniamus obscuritatem et asperitatem. Et quum unicuique illorum historicorum minime vitio data est, tum Tacito summæ laudi ab omnibus uno ore vertitur sua breviloquentia, quippe quæ siccum et sobrium probet scriptorem atque densam efficiat orationem sententiis, ita ut nihil in ea notare possis diffuens, nihil inane, nihil redundans, immo singulis verbis singulæ sententiæ contineantur. Thucydidis tempore quum Græca lingua tamquam flore ætatis vigeret, et nervos et alacritatem in se habebat; Tacitus latinum sermonem inveniebat jam senescentem, elegantem, delicatum, mollem; ipse eum rursus roboravit. Quare hoc etiam Thucydidis simile habet Tacitus, quod in utroque quædam vocabula antiqua critici notant, quædam etiam ab ipsis scriptoribus novata. Ceterum Græci historici simplicius est dicendi genus, Romani paulo urbanus. Quæ omnia eo ducunt, ut Thucydidis brevitatem ab ipsa natura et a juvenili quadam linguæ ætate profectam esse dicamus: Romanorum breviloquentiam studio et arte rhetorica magis quæsitam.

Thucydidis τὸ σεμνόν, quod dicunt, præcipue situm est in granditate sententiarum, in duræ severitatis quodam colore, in mira simplicitate; augetur hæc sublimitas prisca verborum vetustate, inusitato genere dicendi, spissa oratione sententiisque referta, multis poëticis dicendi figuris. — Salustium cum Græco scriptore vix contulerim; quamquam enim aliqua explicationis granditate ac severitate non eget, appetivisse tamen potius sublimitatem, quam vere videtur assecutus esse adhibitis vocabulis antiquis et obsoleta eorum formatione et insolentiore significatione vocabulorum, quibus omnibus multo licentius, quam Thucydides, utitur, ita ut additamenta sublimitatis potius, quam ipsam Thucydidis sublimitatem imitando assecutum esse Salustium judicemus. — Vere autem grandis et, cum Thucydide qui comparetur, dignus est Tacitus; quum enim res tristissimas ac turpissimas describit, libertatem oppressam, degenerem et oblitum virtutis avitæ populum, senatum ad servilem adulationem projectum, proposita vitii præmia, unius impuri hominis libidinem extincta legum auctoritate dominantem: en quanta granditate per commotos fluctus alte incedit Tacitus undis non modo non obrutus, sed ne aspersus quidem! quantam tota narratio refert severitatem! quanta conspicua est sublimitas! veræ Romanæ virtutis quam grandis majestas! qui altæ animi splendor dignitatis! velut lucidum enim sidus in cælo nubibus obducto effulsit Tacitus, quum civibus antiquæ virtutis desiderium excitare eosdemque ad eam exercendam adducere studet. Tragicorum poëtarum modo magnus doloris sensus per totum opus spirare atque perfusus esse videtur; audacissima verborum collocatione pariter atque vocabulis maxime inusitatis tanta usus est licentia, quantam ne Salustius quidem adhibuit. Neque vero illam Thucydidis animi tranquillitatem apud eum senties; multo commotior est Romanus suumque ubique sensum præ se fert; quocum cohæret, quod non solum, ut Thucydides, dicendi figuris, velut membrorum oppositione, usus est, sed etiam more oratorum sententiarum figuras usurpat, quæ in tranquillo Thucydidis genere dicendi non reperiuntur, ita ut quum in Thucydide major appareat naturæ quædam simplicitas, Taciti dictio rhetoricam magis artem redoleat; quocum optime congruit, quod Tacitus ætatis suæ sine controversia habitus est eloquentissimus et, quæ virtus Demostheni maximam inter Græcos peperit gloriam, quam illi „δεινότης“ appellant, eam ut propriam et peculiarem Tacito tribuunt omnes. Quod autem Gæthio nostrati, excellentissimo poëtæ eidemque acutissimo, de Horatii arte poëtica visum est, ut post decimum quemque annum eundem hominem aliter de illo libro judicaturum confirmaret: idem fere — ut mihi videtur — de Taciti operibus dici potest; aliter enim juvenem de hoc historico, aliter virum, aliter denique senem sensurum esse puto, ita tamen, ut ejus laus et dignitas pro crescente hominum vita non extenuetur, immo futurum sit, ut in ipsa senectute maximo ejus amore captus eundem

summa laude dignissimum esse scriptorem facile profitearis; quo quidem testimonio ac laude, quae in dies augetur et amplificatur, nihil praeclarius cogitari potest.

Omnia haec, quae de tribus his summis antiquitatis historicis exposuimus, facile nos adducere videntur, ut, quamquam singulos suis quemque virtutibus quibusdam ac proprietatibus praeditos esse aliumque alii praestare non infitiabimur, tamen, quum et rerum scribendarum naturam et civitatum tempora et virorum ingenia et artem scriptorum dicendique rationem spectaverimus, eos inter sese haud dissimiles fuisse existimemus et animorum magnam inter eos esse cognationem. Atque accuratius si tecum reputaveris, quemnam dignitatis locum trium cuique historicorum tribuas, dubitare non poteris, quin Thucydidem omnium principem habeas, ita tamen ut proxime ad eum accedat Tacitus, longe ab utroque superetur Salustius.

Itaque apud Romanos in historia idem, quod in omni fere litterarum genere, fuisse intelligimus; omnis enim Romanorum cultus atque humanitas tum demum effloruit, postquam Graeci tamquam fermentum injecerunt animis Romanorum, ita ut hi illos imitandos sibi proponerent; et quamquam Romanorum nonnulli haud exiguas ingenii facultates ad illos imitandos attulerunt litterasque suas proxime adduxerunt ad Graecos, tamen eos non omnino assecuti sunt. Verumtamen utrorumque scripta digna sane esse videntur, quibus tot post saecula etiam nos operam atque studium navemus.



### Corrigenda.

pag. 3. lin. 20	leg. summum pro summam.	pg. 7. l. 38	leg. vana pro vona.
pg. 4. l. 10	et sapius leg. accommodavit pro accomodavit.	" 8. " 12	" processisse pro processise.
" " " 12	leg. efferret pro efferet.	" " " 23	" illustrat pro illusrat.
" " " 18	" Piræum pro Piræum.	" 9 " 31	" nostra pro notra.
" " " 19	" ab Ionicis pro a Jonicis.	" " " 38	" atque pro atqua.
" 5 " 7	" imitando pro imitanto.	" 15 " 29	" homœoptota pro homœoptata.
